


3431.







Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3431 8° (LN 631)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3431 8° (LN 631)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3431 8° (LN 631)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3431 8° (LN 631)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3431 8° (LN 631)

34

3431.



W. Müller fecit



L. N. 631 M

L
S
I
L
fist

3431.

EPITHA

LAMION DOCTIS-
SIMO VIRO MAGISTRO
IOHANNI SVANINGIO, COL-
LEGII ECCLESIAE RIPEN-
sis Decano, & honestissima uirgini Marinae, nate
patre prudentissimo Seuerino Iacobo,
inclytæ Ripis Senatori,
scriptum à

IOHANNE FRANCISCO
RIPENSI,



VITEBERGAE

1555.

34
ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΜΕΛΑΧΘΟΝΟΣ.

Πνεύμα ἔωρ θεὸς αἰδίῳ καθαρὸν τε καὶ
ἄγνον
τῶν ἁγνῶν δέχεται ἰδρα μοῦνα φρενῶν.
Ἄγναια καὶ ἔταξε νομοῖς σεμνοῖσι γάμοιο,
τιμήσας θεὸν οὐκ ἐν γαμῶ ἔυσεβέωρ.



3431.

CLARISSI=

MO VIRO PIETA=
TE ET ERVDITONE
PRAESTANTI MAGISTRO
IOHANNI SVANINGIO

Ecclesiae Ripensis Decano

S. D.

GRata fuere rudis dederat quae poma Colonus
Persarum mira simplicitate Duci.

Namq; suo nullum creuit praestantius horto

Munus: non aliud, quod dare possset, erat.

Sic ego, Meccenas doctissime, munera mitto,

Munera quae prorsus frigida rura ferunt.

Non alij nostro fructus nascuntur in horto,

Et mea non alias cista reseruat opes.

Quodq; decet, quoties memori tua mente recordor

Munera, quae nuper, dulcis amice, dabas,

Signa pudet gratæ mentis me nulla referre,

Quin magis ingrati me maculare lue.

Nullius at, dicis, quid prosunt signa fauoris?

Hæc tua non ullo musa favore nitet.

Est fateor tenuis, sic languida carmina dictat

Quae sunt flammigeris aridiora focis.

A 2

Hume

34
Iunc meritò demens agitant Plutonidas umbra,

Inq; quot infestæ sunt Acheronte deæ.
pontè cupit quicumq; malos conscribere uersus
Eligit & uerbis deteriora bonis.

Mens fuit, Antistes doctorum care uirorum,
Carmina pro meritis dicere digna tuis.

Obstitit inceptis nostris at sola facultas:

Grandis inest nostro nullus in ore sonus.

Ergò te gratam quæso complectere mentem

Cùm nihil est aliud quod placuisse iuuat.

Seruiet hæc cunctos fido tibi corde per annos

Dum stabunt fati stamina firma mei.

Et prius Euxino desint absynthia ponto,

Fertilis & nullas hybla uidebit apes.

Omnia conuersis naturæ legibus ibunt,

Aureus inuersum Sol gradietur iter,

Quàm pereat dulcis meritorum fama tuorum,

Officij nolim uel meminisse tui.

Hoc præstare iubet me mens & grata uoluntas

Quæ ero deuinctus, uir uenerande, tibi.

Grata magis placuit tibi mens dignissime, Regum,

Rusticus ac dederat quæ tibi dona rudis.

Tu quoq; sic cultor sacrarum docte sororum

Gratum animum tantum non leue munus ama.

Epi

EPITHALAMION.

Fert animus laudes socialis dicere lecti
 In quo conueniens nil nisi regnat amor.
 Te precor immensum sacro qui numine cœlum
 Torques, ô ceptis annue, Christe, meis.
 Cum noua longæui cepit primordia mundi
 Sextus iam toto luxit in orbe dies,
 Ipse sacrum thalami sanxisti fœdus: Adame
 Iuit in amplexus cum noua nupta tuos.
 Vos quoq; Castalidum decus aspirate sororum.
 O Musæ Clarie lausq; decusq; lyre.
 Ferte chelyn resonam neruosq; aptate sonoros,
 Ne referat uacuo murmure rauca sono.
 In mea uota ueni simul ô hymen ô hymenæ,
 Te sine non fas est iura subire thori.
 Nam sine te licitum non constat fœdus amantum
 Blanda uel hoc firmum si iubet esse Venus.
 Prorsus hic infelix thorus infelixq; maritus
 Qui caruit sacris, ô hymenæ, tuis.
 Ergò ueni roseis ornatus tempora fertis
 Adfer & huc tædas, ô hymenæ tuas.
 Ut noua nunc casti confirmes fœdera lecti
 Cum Sol Oceanas aureus intrat aquas.
 Tunc dabitur docto formosa puella marito,
 Ut subeat casti debita iura thori.

A 3

Tempus

34
Tempus erat claro cum Sol splendebat Olympo
Postquam purpureos mane ligarat equos,
Conspicuum rutilo perfudit lumine cœlum
Flammiferum celfo sparsit ab axe iubar.
Cum Ioue Sol alto iunxit sua lumina cœlo
Pendet ubi species lance iugoq; pari,
Alma Venus primo surgit sub limine cœli
Quam sequitur quinto menstrua Luna gradu.
Luce sub hac gelidum solus spaciabar ad Albim
Pertæsus curæ tædia longa meæ.
Ecce puellarum præstans mihi cura sacrarum
Offertur uultu conspicienda meo.
Sollicitat cytharæ pars dulcia fila sonore,
Pars cantat, placidos pars agit orbe choros.
Obstupui timuiq; noui spectacula uisus,
Nam non sunt oculis talia uisa meis.
Me subito uiridem demisi sponte per herbam
Illarum captum dulcis amore soni.
Pergunt adproperantq; locum quo suauibus herbis
Incubui, digitis tangere plectra suis.
Quo magis accelerant, timeo magis, & magis usq;
Frigidus inuadit pectora nostra timor.
Sed frustra: timidum placido sermone salutant
Et referunt cytharis talia dicta suis.
Heus iuuenis tristes animo deponito curas
Deserat & pectus sollicitudo tuum.

Nam

Nam tua uota deos simul & tetigere sorores
 Pierij celebrant quot iuga sacra chori.
 Ergo hic presentes agimus nunc more choreas
 Et quatimus molli tympana blanda manu.
 Thessiadum campos dulces & Phocidas undas
 Liquimus, Albioras uenimus usq; plagas.
 Ut simul hæc tecum celebremus festa canendo,
 Festa sub auspicijs o peragenda bonis.
 Dum superos tangunt Suaningi uota disertæ
 Et firmat liciti uincula casta thori.
 Hæc radijs lux sit nitidis conspersa, precamur,
 Istum quæ rapiet clara sit hora diem,
 Qua dabitur docto dilecta puella marito
 Qua capiet clarum casta puella uirum.
 O uirgo tali iungi dignissima Sponso,
 Dignus & est thalamos Sponsus inire tuos.
 Est hic magnorum non infima cura uirorum
 Ingens belligerum sollicitudo ducum.
 Historiam nam qui, multos quæ duret in annos
 Texuit, in primis est prior ille uiros.
 Historiæ faciunt ut durent acta per annos
 Et possint sera posteritate frui.
 His sine præteritæ non esset mentio uitæ
 His sine uirtuti nullus adesset honos.
 Hoc igitur summas meruisti nomine laudes,
 Suaningi, patrij gloria, lausq; soli.

34
Hystoriae fidus fueris quòd scriptor & autor
Iure uetustatem quæ monumenta ferent.
Dania pro meritis dignos præstabit honores
Pro meritis referet maxima dona tuis.
Nos quoq; Thespiades colimus qui sacra sorores
Addimus atq; comis florida sarta tuis.
Munera sed quamuis præstantur regia, dantur
Attamen haud doctis præmia digna uiris.
Cœpit Aristoteles summas hoc nomine grates
Cœpit & à magno munera digna uiro.
Officio grates dignæ tibi dentur eodem,
Nulla feres meritis dona minora tuis.
Inconcussa tibi uirtus hos præstat honores,
Eloquium cultum, ueraq; religio.
At frustra tantas tentamus dicere dotes,
Virtutes quoq; quot nobile pectus habet.
Vix autor cytharæ, uel carminis autor Apollo
Cantarent animæ munera cuncta tuæ.
Tu quoq; conspicui decus ô pia sponsa pudoris
Es quoq; tu nostra digna canenda lyra.
Tantò formosis es præponenda puellis
Tantò uirgineos uincis honore choros,
Quantum præstiteris reliquis, ô Sponse, maritis
Es quantum doctis doctior atq; uiris.
Qua tamen, ô uirgo, tua munera laude canemus
Quot dederant uitæ fata benigna tuæ.

Præstane

Præstantes fausta tribuerunt sorte parentes
 Fors quibus & summæ concomitantur opes.
 Os, faciem, sacris quoq; membra similia Nymphis
 Qualia uix quondam candida Iuno tulit,
 Inter præstantes dominaris iure puellas
 Forma, diuitijs, moribus, ingenio.
 Oscula iam docto da milia mille marito,
 Oscula tu pariter pluraq; blanda cape.
 Festina niueis iam neçtere colla lacertis,
 Festina licitum sponte subire thorum.
 Seros sic tandem uideas, ô sponsa, nepotes,
 Et dent longæuæ basia multa tibi.
 Interea sacras peragemus uota per aras,
 Ut uestrum felix perficiatur opus.
 Alma Venus pictam donabit munere Cæston,
 Et præsit telis ipse Cupido suis.
 Turbaq; Castalides Nymphæ nos grata uenimus,
 Dona dabit proprio qualibet officio.
 Hæc ita sub tali retulerunt uerba tenore
 Doctæ tres Charites, Pieridesq; nouem.
 Quæ nunc Suaningi non longo tradita uersu
 Iudicio ueniunt missa legenda tuo.
 Sunt minus hæc quamuis dignis ornata figuris
 Materies Musis est minus apta meis.
 Commendet studium res laudatissima nostrum
 Qua non est toto maius in orbe decus.

34
Ipse Deus celsi summus regnator Olympi
Legitimi statuit fœdera certa thori,
Qui simul in thalamum binos coniunxit amantes
Vos eritis. sancto, dixit, amore pares.
Mandato tribui ueros huic iussit honores
Ipse quod instituit iussit & esse ratum.
Pectora proh toruæ stimulis incensa Megæræ
Proh nimium diris pectora plena dolis,
Quæ sacra legitimi contemnunt uincula lecti,
Et gaudent castum commaculare thorum.
Quem Deus immunem maculis iubet esse profanis
Immunem tetra quem iubet atq; lue.
Crede Dei iussum non est contemnere tutum,
Hunc qui contemnit certa ruina manet.
Græcia nunc igitur iacet altis mersa procellis
Et tantum uastum cernitur esse chaos.
Impuros coluit Veneris quia semper amores
Et lesit casti iura statuta thori.
Plectitur & Dauid tali pro crimine mœchus
Dum perdit regni ditia sceptra sui.
Pellitur ex regno proprio sic fratre Thyestes
Lesit fraterni quòd sacra uincla thori,
Vt ferret dignas tanto pro crimine pœnas
(Merces pro tanto non erat apta malo)
Hunc uocat exilio frater Pelopeius Atreus,
Damna tamen tacito corde peracta tenet.

Manducan

Manducanda dabat tristi proh funere raptâ
 Pignora de fratris sanguine nata sui.
 Tandem cum lautis epulis, mensisq; remotis,
 Tractaret facili pocula plena manu,
 Ambiguae tristi cesserunt pectore curæ
 Offert dum genio munera leta suo,
 En, iubet apponi puerorum brachia & ora,
 Quæ prius, ô dulcis, consonuere, pater.
 Blanda quibus placida nuper dedit oscula lingua,
 In quibus Ambrosius splenduit ante nitor.
 O pudor, ô facinus dictu miserabile, diris
 Quin etiam factis ausus es ista sequi?
 Istius en sceleris stupuerunt facta, rubentes
 Dum uertunt cursum Solis euntis equi.
 Mira sed acta cano: medio cum Phœbus Olympo
 Carperet incessum per loca nota suum.
 Ignipedum retrò moderamen flectit equorum.
 Propositum uerso tramite carpit iter.
 Ne sua tam turpi præberet lumina facta
 Facta per infernos digna ferenda rogos.
 Detestanda Deo res est tam fœda libido
 Quæ tentat sanctum sollicitare thorum.
 Casta sed est socia rursus coniunctio uitæ
 Grata Deo & summis accumulata bonis.
 Si cui diuitias Cræsi Rhamnusia præstet
 Quas uel habet fluidas orbis auarus opes,

Huic

34
Huic quid diuitiæ profunt? quid gemma? quid aurum?
Quicquid & Eoo littore mittit Arabs.
Horum si careat socia cui suppetat usus,
Vel desint casti pignora cara thori.
Quæ bona possideant, magno quæsita labore,
Postquam sunt uitæ tempora clausa suæ.
Post cineres hic nulla sui monumenta relinquit.
Vix superest uitæ mentio uana suæ.
Alter quod superest in uanos conferet usus,
Et bene quæsitas dilapidabit opes.
Adde quod in uita fuerit si pressus acerbo
Morbo, uel quicquid fors ferat atra mali,
Inuenies aliquem uix qui sua damna leuabit,
Milibus in multis unus & alter erit.
Hunc captant uiuum spolient ut morte sepultum,
Non hunc, sed querunt quid sua cista ferat.
Deserit at coniunx caros dilecta parentes
Viuat ut in socia conditione comes.
Iam duo quæ fuerant, diuersaq; pectora, tandem
Post iunctas tædas non duo corda manent,
Vnum sed casto cor pectore spirat utroq;
Vna fides, unum flamen amoris erit.
Alterutri quicquid uenit, contingit utriq;
Ambobus simul est omne doloris onus.
Hinc cape Suaningi quantum te fata bearint.
Cum liceat tanta commoditate frui.

Lubrica

Lubrica
Ha
Si feret h
Ha
Nunc ig
Of
Ut conce
Q
Sic non u
Far
Viuite fe
Et
Ipsè Deu
Ips
Nestore
Co

Lubrica si præstet tibi quid fortuna sinistra,
 Hæc tibi sit coniunx quæ tua damna leuet.
 Si feret hæc eadem plenis tibi dona quadrigis
 Hæc simul ex socia gaudia sorte feret.
 Nunc igitur roseo tibi quæ ferat ore Marina
 Oscula & amplexus, uir uenerande, cape.
 Ut concepta ferat tandem tibi semina coniunx
 Quæ referent fructus pignora prima sui.
 Sic non ulla tuam delebunt secula famam
 Fama per æternos uiuere digna dies.
 Viuite felices quoniam sic uiuere digni,
 Et felix uestri ferte laboris onus.
 Ipse Deus uobis benedicat & adsit utrisq̃;
 Ipsius & uestrum protegat umbra caput.
 Nestoreos uitam felix ut agatis in annos,
 Conciderit placido donec uterq̃; rogo.

ΕΥΤΥΧΩΣ, ΣΥΝ ΘΕΩ.



34

VITEBERGAE
EX OFFICINA TYPO-
GRAPHICA HAERES-
DVM GEORGII
RHAVV.

M. D. L. V.



3431.

E

PO,

RE

